

debitis, super quibus nostras habet patentes litteras accumulando debet computare, mandantes dictis civibus nostri favoris sub obtentu, quatenus sepedicto Henrico pignoris nomine pareant, sicuti fecerint pro debitibus prioribus sub articulis et condicionibus superius annotatis, dantes in premissorum testimonium hanc litteram sigillo maiori principatus nostri roboratam. Anno domini tricentesimo tricesimo septimo, feria quarta in communi septimana, presentibus et testibus nobilibus viris Gunthero comite de Swarczburg seniori, Henrico advocato de Plawe dicto Rūze, Bertoldo de Nezzilride milite ac aliis quam pluribus fide dignis.

94. *Propst, Priorin und Konvent des Klosters Eisenberg verzichten auf alle Rechte an einem vor der Stadt Zwickau gelegenen Garten.*

1338 Februar 18

*Original: Stadtarchiv Zwickau, A*A II 18 Nr. 3 (A); Pergament: 34 cm breit, 19,5 cm hoch, Plica: 3,0 cm (A); Besiegung: Die ursprünglich an Pergamentstreifen angehängten Siegel des Propstes und des Klosters fehlen; Rückvermerk 15. Jh.: ad altare Marie Magdalene ad sanctam Katherinam — Abschrift: Stadtarchiv Zwickau, IIIx¹ 141b (Zwickauer Rechtsbuch), fol. 10r^(Sp. 2)–10v^(Sp. 1) (14. Jh.) (B); Rubrum: Privilegium de eodem et confirmatione ortus claustralis. — Edition: Herzog, Chronik II, S. 883 f., Nr. 21. — Regest: Regesten Eisenberg, S. 350, Nr. 101. — Zur Sache: Kahleyß, Bürger und Kirche, S. 611.*

In nomine domini amen. Nos Theodericus prepositus, Kunegundis priorissa totusque conventus sanctimonialium sancte Crucis in Ysenberg ad universorum ac singulorum tam presencium quam futurorum, quibus presentes exhibite fuerint, pervenire volumus notionem publice protestantes, quod cum ortus dictus vulgariter clostirgarten ante opidum Zwickaw situs a nobis et a monasterio nostro predicto olim processisset in feodo, nuperius vero altari sancte Marie Magdalene, cuius ius patronatus nobis preposito predicto, seu qui pro tempore fuerit, sicut in litteris desuper confectis apparet, pertinere dinoscitur in ecclesia sancte Katherine dicti opidi sito, per emptionem et comparacionem discreti viri domini Henrici dicti Wegehoubt, perpetui in Zwickow vicarii, cum aliis certis redditibus per dominum Lutoldum sacerdotem pie memorie propter cottidianam et perpetuam in dicto altari celebrationem missarum habendam cum nostro ac dyocesani episcopi consensu ac eiusdem confirmatione eidem altari pie deputatis cum omnibus iuribus et pertinenciis suis nomine iusti testamenti ex certa nostra sciencia perpetuo sic datus pariter et annexus omnibus et singulis vacationibus seu vacationum emolimentis, que nobis seu monasterio nostro predicto occasione dicti feodi in prenotato orto nunc competunt aut quomodolibet in futuro competere poterint, accepto perinde restauero competenti pari consensu unanimi voluntate consilio maturo ac deliberacione bona prehabitis abrenunciavimus irrevocabiliter inter vivos ac presentis scripti patrocinio abrenunciamus pure libere simpliciter et in totum litteris prius super altari et bonis praedictis alias datis et confectis in omnibus earum punctis et articulis fraude et dolo exclusis, salvo permanentibus et illesis, abrenunciantes etiam in hiis omnibus et singulis sponte et expresse auxilio competenti circumventis ultra dimidium iusti precii, excepcioni doli